

Passio Arialdi

[Page 52]

Incipit prologus in passionem sancti martyris Arialdi Mediolanensis.
Praecepisti, venerande pater Rodulfe, ut beati martyris Arialdi passionem describerem. Quod licet facere conatus sim, in veritate, non pro humilitate sola, ut plerique sapientes solent, loquor. Quicquid in ea est quod conveniens sit etiam in ipsa verborum compositione, non meae sapientiae, quae sic est parva ut paene sit nulla, sed soli Dei gratiae meritisque ipsius atque tuae orationi tribuo. In qua sciat eam quicumque legerit me prorsus nihil dixisse, nisi quod, viris certis narrantibus, didicerim: a Marchione videlicet ipsius germano fideli, vel a Bonovisino eiusdem fidissimo famulo, qui ei a cunabulis est famulatus fideliter; immo de quibus tot existere possunt testes, quot illo in loco cum aetate perfecta sanoque sensu sunt homines. Verum per totum hunc libellum meum nomen celetur, quia talis sum ut magis conveniat nesciri quam sciri, cui iure congruit illud Isaiae: *Claude - inquit - ostium tuum et absconde te post illud, donec transeat ira Domini.*[Page 54]

Tuum vero nomen in eius fronte habeatur, quoniam, velis nolis, super candelabrum, ut omnibus luceas, te posuit Christus, quatenus is qui scripsit si ignoratur, ad quem scriptus est non ignoretur. Porro quia in hoc plura sunt in verbis et factis aedificationi utilia, duodecim monasteriis quibus te supernus iudex praeposuit, oro ut ad legendum tribuas, quatenus, dum audierint in defensione veritatis quid alii nostro in tempore dixerint et perpassi sunt, accendantur et ipsi ut talia dicant et, si necesse fuerit, pro eadem veritate similia patiantur.
Explicit prologus.
Incipit vita et passio eiusdem.
1. Licet iam sic senex sit mundus, ut iam iamque vicinus eius cernatur occasus, tamen, quia ab universis mortalibus ignoratur quando finiatur, libet novorum constantiam sanctorum supparem antiquorum saevitiamque perfidorum qui eos usque ad necem nostris temporibus immoque nostris sub oculis persecuti sunt, scriptis tradere atque posteris ad eorum aedificationem intimare.
2. Igitur in Cutiaco quodam vico, inter Mediolanum Cumumque sito, miliario vigesimo distante a maiore, quinto vero a minore, ut in vulgari fertur opinione, Bezo quidam cum Beza sua uxore extitit, nobiles utrique natione, sed nobiliores probitate. In quorum profecto laude parumper immorari[Page 56]

et sanctorum gestis quam plurimis instruimur, et cuncti scimus liberiore fore laudem celsi aedificii, si ipsius certitudo habeatur manifesta firmi fundamenti. Ii namque causam reproborum, quae est rapacitas, tam exosam habebant, ut inter cetera eorum bona, cum in servis equisque nimis abundarent, nullus quippe erat audax ex ipsis servis, qui manipulum quidem vi furtimve alienae segetis raptum deferre auderet eisdem coram equis. Porro superbiam, quae est causa diaboli, ita execrabantur, ut, cum libere modis omnibus suis vicinis imminerent atque a nemine eorum, si nollent, constringi possent, ceu essent ex illorum minimis, sic se ultro subdebant ipsorum omni iustae conventioni. Verum, quoniam unicuique parum est non agere prava, nisi in bonis operibus exercitationem ponat, pauperum infirmorumque necessitati sic intendebant, ut ex vicinis nemo infirmitate oppressus in strato iaceret, qui a Beza, memoria digna, non visitaretur et suis, si egeret, huius substantiis non aleretur. Praeterea in ceterorum orphanorum egenorumque beneficiis quae illis sedule impendebat, Deo et hominibus eius vita sic erat grata, ut ipsi pauperes invicem conferrent dicentes: << Si haec obierit, profecto nobis vivere non expedit >> .
3. Hoc quippe exercitum sanctae actualis vitae per multorum curricula annorum in venerabilis Bezae natorumque eius desudatione, viro ipsius iam defuncto, egomet vidi, ceteraque perplura aedificationi congrua, quae ideo praetermitto, quia velociter ad ea, quorum causa hoc opus assumpsi, venire concupisco. Huic utique, sicut illius relatione didici, nocte quadam dormienti, eius adhuc vivente viro, ex quo tunc in utero habebat filium, amirabile lumen in visione ceu solis meridiani splendor desuper illuxit, cuius claritas, omnibus tenebris ab ea expulsis, totam domum ubi erat iacens implevit. Mane autem facto, insolitam secum visionem admirans, antiquis matronis pandit, a quibus protinus audit habere[Page 58]

se in utero infantem sexus masculini meritique futurum celsi. Quem cum enixa est, apto praestolato tempore, Arialdum vocant, clericum faciunt, scholis diligenter eo usque tradunt quousque provinciales magistri qui eum possent instruere deficiunt. A quibus, cum per tempora, ut scholaribus

moris est, reverteretur, sicut a matre eius iam saepe dicta cognovi, et puellae ipsius ornatiores more solito nitidioresque se eius vultui praesentarent, quemadmodum essent viperae, sic exterminabant a sua facie, dicens:

<< Captio haec est Satanae >> .

4. Indesinenter denique in diversis terris scholasticis se studiis tam diu tradidit, donec optime tam liberalium quam divinarum litterarum haberet scientiam, simulque aetatem perfectam. Erat enim tunc ordo ecclesiasticus in tot erroribus seductus, ut ex illo vix quispiam existeret qui in suo loco veraciter reperiri posset. Nam alii cum canibus et accipitribus huc illucque pervagantes, suum venationi lubricae famulatum tradebant, alii vero tabernarii[Page 60]

et nequam villici, alii impii usurarii existebant. Cuncti fere aut cum publicis uxoribus, sive scortis, suam ignominiose ducebant vitam. Omnes, quae sua erant, non quae Christi, quaerebant. Nam, quod sine gemitu dici vel audiri nec potest nec debet, universi sic sub simoniaca haeresi tenebantur impliciti, quatenus a minimo usque ad maximum nullus ordo vel gradus haberi posset, nisi sic emeretur quomodo emitur pecus. Et, quod est nequius, nemo tunc qui tantae perversitati resisteret apparebat. Sed, cum lupi essent rapaces, veri putabantur esse pastores. Ad quorum nimirum perversitatem detegendam et corrigendam, Mediolanum, ubi haec iniquitas tanto erat copiosior quanto urbibus ceteris ipsa est populosior, a Deo procul dubio praefatus missus est Arialdus, divinis, ut praediximus, legibus bene eruditus. Qui, ingressus urbem, populum paene universum ad eius verba confluentem fari sic adorsus est: << Volo, dilectissimi, vobis dicere, in nostri sermonis exordio, quae scire vos scio, ut paulatim sic vos introducam ad ea quae nescitis, et vobis scire magnopere necessaria sunt. Veraciter credo vos nosse humanum genus usque ad Christi domini nostri adventum cecum fuisse non oculis corporis sed cordis. Quod ideo erat cecum, quoniam quod erat falsum credebatur verum, dicens lapidi lignoque et metallo: Deus meus es tu. Cuius cecitati et miseriae in tantum summa lux et aeterna compassa est, per quam omnia facta sunt et in qua universa consistunt,[Page 62]

ut non ad hanc a cordibus hominum auferendam angelum mitteret, sed per semetipsam de caelo descendit, carnem assumpsit et, ut eam ab hominum cordibus penitus expelleret, usque ad crucis mortem libenter accessit. Qui, *in diebus carnis suae* homines tot de mundo elegit, quot sufficere ad universitatis illuminationem ante saecula posse praevidit. Quos, omnibus falsitatis tenebris ab eorum cordibus expulsis, aeterna luce illuminavit eosque per mundum universum misit et lucem quam acceperant ubique deferre praecepit, sicque ad Patrem a quo venerat rediit. Haec quippe summa et aeterna vivaque lux duas in terra causas reliquit, in quibus omnes qui erant illuminandi illuminarentur, et usque in finem saeculi semper permanerent lucidi, tam isti qui adhuc erant illuminandi, quam qui iam fuerant illuminati. Vultis nosse haec res quae fuerunt? Verbum scilicet Dei et doctorum vita. De verbo autem Dei quod lux sit, non meum sed psalmistae audite testimonium: *Praeceptum* - inquit - *Domini lucidum, illuminans oculos*. Et item: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. De vita vero doctorum, quod esse debeat lux, in verbis suis ipsa per se veritas aperte manifestat: *Vos* - inquit - *estis lux mundi*. Et protinus addidit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui est in caelis*. Ex his itaque unam idem Dominus posuit ante illos, aliam ante vos. Hi vero, quibus scientiam scripturae dedit sibi ad ministrandum elegit, ut ad lumen verbi sui lucidi semper viverent constituit, et ut eorum vita esset vestra lectio, qui litteras nescitis, ordinavit. Sed inimico humani generis insidiante pariterque nostra neglegentia et peccato operante, illi se convertendo retrorsum perdidierunt suam, vos autem lucem perdidistis vestram. Verumtamen, ut securius vos idem inimicus deluderet, qui sanctitatis ab eis abstulit veritatem, eis permisit in exteriori habitu sanctitatis habere similitudinem. Quod gemens dico, non ad vestram ignominiam, sed ad cautelam. Nonne ad eandem cecitatem estis reversi, pro qua ab hominibus auferenda Christus de caelo misericorditer descendit? Si enim ideo humanum genus ante ipsius adventum, ut diximus,[Page 64]

erat cecum, quia sumebat pro vero mendacium, quicumque nunc opus simile facit, nonne causam eandem incurrit? Nam sicut illi decepti lapides et ligna credebant deos, ita vos vestros sacerdotes putatis veros, quos incunctanter esse constat falsos. Unde hoc scire possumus? Vultis nosse unde? In tenebris sumus: ut hoc patenter cognoscamus, ad lucem eamus. Ad quam lucem? Ad verbum videlicet Dei. Ecce, Christus dicit: *Qui mihi ministrat, me sequatur*. Quod est aperte dicere: A nemine quippe mihi ministratur, nisi ab eo qui me sequitur. Vestrorum vitam sacerdotum scio vos nosse. Et quo Christus pergat et quid dicat, audite, atque tunc plenius cognoscetis utrum isti sint eius ministri, an ipsius potius adversarii. Ecce Christus clamat: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*. Et iterum de se dicit: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*. Et item: *Beati pauperes*

spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. E contra vero, ut inspicitis, vestri sacerdotes, qui effici possunt ditiores in terrenis rebus, excelsiores in aedificandis turribus et domibus, superbiores in honoribus, in mollibus delectatisque vestibus pulchriores, ipsi putantur beatiores. En ipsi, ut cernitis, sicut laici, palam uxores ducunt, stuprum, quemadmodum scelestes laici, sequuntur, atque ad nefandum hoc opus patrandum tanto sunt validiores, quanto a terreno labore minus oppressi, videlicet viventes de dono Dei. Christus autem in suis e contra ministris tantam munditiam quaerit et exoptat, ut non solum in opere, verum etiam stupri scelus damnet in corde dicens: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* Redite, dilectissimi, ad corda vestra, redite, et sumere verum falsumque respuere discite. Nam conatus sum eos reducere ad suam lucem, sed nequivi; ut enim vos ad vestram reducam, huc ideo veni, et hoc[Page 66]

aut fecero, aut pro vestra salute paratus sum animam meam tradere gladio >> . Haec et huiusmodi quam plura vir Dei dum diceret, in verbis eius plebs fere universa sic est accensa, ut quos eatenus venerata erat ut Christi ministros, damnans proclamaret Dei hostes animarumque deceptores. 5. Factum est autem, dum agerentur haec, de medio multitudinis surgens quidam clericus nomine Landulfus, de urbanis excellentibus tam ordine quam natione, nimis potens in voce et sermone, silentium petiit. Quo concesso, huiusmodi laetiferam vocem prompsit: << Gratias - inquit - coram vobis omnipotenti Deo ago, qui nunc me ea audire permittit, unde meum cor per innumera tempora ignescit. Nam olim haec sciens dolensque ideo tacebam, quoniam cum quo ea dicerem non habebam. Nunc vero, domne Arialde carissime, quia Dei donum te dedit mihi, scito me ab ipso collatum tibi, et exinde, quicquid hac de re dixeris fecerisve, me facere et dicere et me meam animam, sicut tu professus es tuam, pro salute fratrum ponere esse paratum incunctanter te nunc reddo securum >> . Populus namque iam fidelis haec audiens, in Dei laudem crescens hilaescit; pars adversa tabescens deficit. Dei vero famulus Arialdus, oculis ac manibus sursum erectis, omnium bonorum Largitori immensas et debitas reddit gratias. 6. Denique post haec quidam laicus surrexit alius, nomine Nazarius,[Page 68]

officio monetarius, cuius vita valde erat ab omnibus laudabilis, licet coniugalibus. Qui silentium petiit; quo accepto, coram omnibus tale responsum dedit: << Domne Arialde, ea quae dicis esse vera et utilia, non solum advertere possunt sapientes, verum etiam et vecordes. Quis tam insipiens est, qui non lucide perpendere possit quod eorum vita esse altius debeat a mea dissimilis, quos ego in domum meam ad benedicendum eam voco, iuxta meum posse reficio et post haec manus deosculans munus offero, et a quibus mysteria, pro quibus aeternam vitam expecto, omnia suscipio? Sed, ut omnes inspicimus, non solum non mundior, verum etiam sordidior perspicue cernitur. Verumtamen hoc scelus sic scito inter nos radicatum et inveteratum, quatenus aut vix aut cum grandi labore poterit evelli. Nunc autem, quia Largitor omnium bonorum mihi tanta contulit bona, quae satis et mihi sufficere possunt et tibi, obsecro te, per eundem omnipotentem Dominum, ut in domum meam ingredi digneris et exhinc bonis omnibus meis ut ego ita et tu fruaris, quatenus tua exhortatione assidua ab hoc errore liberari et in omni veritate confirmari possimus tam ego quam haec plebs universa. Cave ne ad sanguinem altum de quo ortus es et ad opem multam qua polles inspicias, ne forte, sacramento pro quo te adiuravi spreto, non quae Dei sed quae tua sunt quaerere videaris >> . Vir autem Domini haec audiens, et magnitudinem coniurationis et famam viri optimam considerans, omnia terrena quae sibi resistere possent conculcans, in domum se iuste invitantis libenter intravit et per plura tempora Marthae opus ab eo fideliter sumpsit, et quod operatus est Petrus in Cornelio suisque amicis, operatus Arialdus est in Nazario eiusque vicinis. In quibus utique tunc arbusta[Page 70]

quae se Dominus per prophetam pollicitus est in deserto simul positurum, scilicet vitem et ulmum, procul dubium est completum, quatenus altera mentes debriaret, altera vero debriantem sustentaret. Exhortantibus denique Arialdo Landulfoque populum fidei et assidua doctrina, stupra clericorum nefanda et execranda eorum connubia sic ab eodem populo intra aliquanta tempora sunt persecuta et deleta, ut nullus existeret quin aut cogeretur tantum nefas dimittere vel ad altare non accedere.[Page 72]

7. Per idem tempus decreverunt fideles Romam ad synodum Landulfum mittere, quoniam ut eos mendaciter eorum aemuli accusarent illo pergebant.[Page 74]

Quem urbem Placentinam progredi non licuit, quia ibi a quodam profano est oppido percussus et sic Mediolanum regressus. Sed Arialdus Dei famulus, sumpto itinere, omnium adversariorum fraudem circumquaque positorum ad eum necandum scienter declinavit atque Romam, Deo illum protegente, incolumis pervenit. Qui coram summo pontifice se offerens,

cum causam iam coeptam ei retulisset, post multam honorificentiam quam ipsi idem impendit, iussit a quibus sacerdotibus divina mysteria dehinc sumeret et sub inevitabili iussu ei praecepit ad opus coeptum regredi et tam diu in eo vehementer insistere, donec nefanda opera quae tunc inerant in ecclesiastica familia aut penitus deleteret aut sanguinem pro Christo proprium inimicis fundendum praeberet. Qui in omnibus oboediens regreditur, iam saepe dictam causam competenter persequitur et constanter cum suo socio divinitus sibi collato, habentes dehinc doctrinam tam plenam auctoritate quam veritate.[Page 76]

8. Hoc quippe impii civiles perpendentes clerici, quasi occulte in unum conveniunt: ideo, quia progenie altior erat Landulfus, eum occidere disponunt, putantes timore perterritum sic silere Arialdum. Ad patrandum vero tam scelestum opus, quendam audacem et impium conveniunt clericum, nimio praemio reddunt securum, si iam dictum extingueret virum. Qui, acquisito grandi carnificis gladio, quem saepe ego postea vidi, simulque toxico ad necandum citissimo, coepit eum prosequi per cenam Domini et parasceven sabbatumque sanctum clanculum necnon et sanctum diem paschae. Vera utique me dicere scio, utrum rei gestae ordinem teneam ignoro. Cumque ipsum in diebus his reperire minime potuerit absque turbis, in secunda tandem de albis feria ad impium et diu optatum pervenit votum. Nam in ipsius diei crepusculo solum illum ante quoddam repperit altare orantem. Mixturam impiam quam secum ferebat permiscuit illico, scilicet gladium cum toxico, et post tergum clam veniens eumque in collo graviter percussit et sic fugam protinus petiit. Sed, volente Deo, licet esset nimis velox ad fugiendum, in egressu basilicae per quendam captus est claudum. Clamor igitur vehemens attollitur, ab omnibus concurritur: quae esset causa tanti clamoris inquiritur. Cognita namque causa, nefandum clericum circumdederunt eumque cornu toxico plenum habentem reppererunt. Moerentes ergo percussum et eum qui percussit accipiunt ac sic ad domum Landulfi pergunt et ipsius obitum protinus praestolantur adfuturum. Sed magni prodigii evidentiam tunc ostendit Deus omnipotens, ut servo suo nihil plus venenum officeret quemadmodum si aqua esset. Nam idem professus est clericus se illud in pluribus pecudibus probasse, quae ut deglutiverunt cunctae post paululum vita caruerunt. O mira Domini potentia! Hunc virum postquam tetigit, etiam deglutitum nulli nocere quivit. Unde ipse reddens debitam Deo laudem, percussorem clericum dimisit incolumem, admonens ne ulterius tantam conaretur praesumptionem. Idem vero clericus, sua cernens molimina, nimio studio exquisita, a Dei evidenter[Page 78]

virtute exinanita sibique ab eius famulis pro malis impensa bona, corde compunctus veniam petiit, tanti sceleris incentores prodidit, se ulterius tale quid minime conari promisit et postremo sic discessit.

9. Per idem tempus clerici suburbani in unum convenientes ad invicem dicunt: << Quid facimus? En Arialdus, qui nos nostrasque familias conturbavit et dispersit, in urbe conclusus atque a populo circumdatus inhabitat, ideoque ut eum perimamus nequaquam pertingere valemus. Si autem hoc nequimus, damnum dedecusque quod possumus illi saltim inferamus. In loca nostra nunc revertamur et exquisitis gladiis bene acutis rursum nocte alia conveniamus: una illuc ubi idem est hortus pergamus et ubi adhuc cum suis magna pollet possessione parentibus, atque ad ignominiam eius ecclesiam quam olim in praedio proprio construxit violemus, dissipemus. Arbores vero castaneas quas habet innumeras decorticemus, vineas autem quibus nimis habundat incidamus. Interim quidem ex nobis aliqui illuc pergant in die, qui ipsius substantiae plene habent notitiam: vineas eius et silvas evidenter designent, ut non tunc quid appareat, in quo quis errare debeat >> . Nocte igitur conveniunt conducta, ecclesiam extra vicum reperiunt, quam, ruptis ostiis, intrant. Altare frangunt et violant ceteraque utensilia dissipant et dedecus, quod infelices nequibant famulo, facere non sunt veriti Domino. Porro, cum ad designatas arbores vineasque vellent accedere, sicut ipsi postea professi sunt morientes, cum ingenti terrore tanta a iusto Dei iudicio sunt perculsi cecitate, ut neque ubi essent neque rem designatam invenire possent. O mira Domini pietas! Suam demoliri causam permisit, servi vero sui optime tutari novit. Sed ne miseri illam noctem inanem ducerent, vineas et silvas introgressi alienas, incidunt et decorticant. Verumtamen Deo gratias agens profiteor postea me vidisse persaepe[Page 80]

ipsas arbores suis cultoribus uberrimos fructus reddere easque adhuc similiter credo facere.

10. Per idem tempus Christi famuli, cernentes omnem populum ad sequendum quicquid dicerent esse promptissimum, de simoniaca quam eatenus reticuerant palam loqui incipiunt. Quorum primus in virtute scientiae et sanctitatis, scilicet Arialdus, licet illo eloquentior esset Landulfus, de simoniaca et contra ipsam tale exordium protulit ad populum: << Gratias - inquit - dilectissimi, omnipotenti Deo reddere debemus, qui dedit vobis

velle quae vult ipse. Scire vos quidem volumus quod laborem non modicum quem usque modo contra insolentiam coniugatorum adulterorumque sumpsimus sacerdotum, magis nos fecisse necessitate quam voluntate. Nam utrum haeretici uxores habeant an non, parvi pendimus >> . Aspicientibus ergo ad invicem se turbis et admirantibus cur hoc diceret, adiecit: << Audistis, carissimi, dum legeretur liber actuum apostolorum, venisse Simonem magum ad beatum apostolum Petrum et postulasse per pecuniam Spiritus sancti gratiam. Lucas evangelista qui hoc scripsit, quid beatus ei Petrus responderit protinus adiunxit: *Pecunia* - inquit - *tua tecum sit in perditione, quia existimasti donum Dei pecunia possideri*. Quid est hoc? Nonne iste est ille Petrus cui septuagies septies peccanti fratri dimittere iussit Dominus? Est utique. Sed hunc non prospexit in se nec in homine peccare solummodo, sed in Deo. Nam nimis idem beatus Petrus peccasset, si auctorem tanti reatus silendo proficere sineret et aestimationem tantae nequitiae in ipsa sua radice minime damnasset. Quod lacrimabiliter validoque dolore profero: ecce nefas quod apostolorum princeps in ipsa aestimatione[Page 82]

aeternae perditioni tradidit, per universum paene mundum sic obtinet principatum, quatenus nullus ad regimen pontificale vel abbaticum sive ad officium quaecumque ecclesiasticum perveniat, nisi per ipsum. Quis, quae dicturus sum, audit, dolens non obstupescit? En Christus verus Dominus, pastor bonus, suo gregi sollemne et salutare bonumque dedit praeceptum, quod oblivioni tantae proiectum est, ut nemo appareat qui eius iam reminisci audeat. Vultis audire quod est illud? *Gratis* - inquit - *accepistis, gratis date*. E contra vero impia cogitatio quae maligne semel est exorta in impii Simonis corde et quae illico est damnata a tanto apostolo cum suo auctore, ubique sic est sparsa sollemniter, ut nemo fere ad altaris officio accedat, nisi prius agat opere quod idem cogitavit nequiter corde, et donec eidem maledictioni tanto profundius se subiciat, quanto esse noscitur peius malum facere quam cogitare. Utinam haec maledictio illos percuteret tantummodo qui Dei donum vendere aut emere praesumunt audaci corde et impio! Verumtamen hic tam noxius est reatus, ut non solum qui faciunt et qui consentiunt, verum etiam eos qui facientibus non resistunt et obpugnant, sic poenaliter obliget, quatenus maledictione quae Simoni a Petro est illata minime procul dubio careant. Ne forte mentiri me arbitremini, quid de hac re noster patronus sentiat beatus Ambrosius audite. Ait enim: «Nam et lepram cum Giezi a sancto suscepisse se credant Heliseo, qui gradum sacerdotalem se existimant pecuniis comparare. Nam, sicut validioribus morbis capite vitiatu reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi letaliter irrigari, ita et ii qui caput videntur esse ecclesiae, morbo pestifero fraternum vitiant corpus, ut nihil ex totius corporis compage insauciatum possit evadere, quod neglegentium sacerdotum vitiositatis mortale non infecerit virus. Ita videas in ecclesia passim quos non merita sed pecuniae ad episcopatus ordinem provexerunt». Verumtamen,[Page 84]

ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum , audite quid super hac re beatus dicat Gregorius: «Cur - inquit - non videtur, cur non perpenditur quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc, ut fiat haeticus, ordinatur?». Et iterum: «Quisquis contra hanc simoniacam et neophitorum haeresim vehementer pro officii sui consideratione non arserit, cum Simone mago se non dubitet habere portionem, qui prius commisit hoc piaculare flagitium». Quoniam locus ille in hoc beati Gregorii sermone ubi praecipitur unicuique pro sui officii consideratione contra simoniacam ardere debere, non omnibus forsitan plene patet, vobis lucide nos explanare condecet. Tres quippe ordines in sancta ecclesia habentur: unus praedicatorum, alter continentium, tertius coniugatorum. Primus namque debet contra hanc ardere indefessa exhortatione, continentibus autem assidua oratione, vos vero qui coniugati estis et de vestrarum labore manuum vivitis, ut Deus omnipotens hanc ab ecclesia sancta repellat et disperdat cotidie ardentemque operibus eleemosynarum instare debetis. Quisquis igitur nunc ex his tribus ordinibus contra simoniacam cum his iustitiae operibus ardentem minime pugnaverit, iuxta dicta Spiritus[Page 86]

sancti, qui haec dixit per os beati Gregorii, poenam quam Simon magus nunc habet, quod eandem in fine effugere queat nullo modo credat. Si enim hi, quibus est scientia officiumque praedicandi commissum, qualibet ex causa tacuerint, non solum continentibus, quorum praedicatio tanto esse debet liberior et veracior, quanto constat quia sunt ab omni re saeculari expediti et sacrae legis meditatione assidua edocti, verum etiam vos, qui estis idiotae ignarique scripturae, communibus verbis quibus valetis invicem vos cautos ab hac nequitia reddere debetis. Unde Dominus dixit: *Si homines tacuerint, parietes loquentur*. Nonne de hac re dicit propheta: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine*? Hoc est: ab interfectione huius nequissimae beluae >> . Haec quippe et huiuscemodi quam plura dicente beato Arialdo, in locum illum salutifer ille gladius est procul dubio

missus, qui fideles dividit ab infidelibus et de quo locutus est Dominus: *Non veni - inquit - pacem mittere, sed gladium*. Nam Wido, qui dicebatur archiepiscopus, et pars maxima clericorum et militum, nec non et multi de populo minore nequam viri, discernentes, dixerunt ad invicem: << Haec namque doctrina, si ad profectum venerit, nobis nostrisque filiis profecto nullo modo vivere expedit. Quae enim est nostra vita nisi ecclesiarum beneficia quae assidue a nobis venduntur et emuntur? Quapropter utilius est nobis ut huic novae doctrinae resistentes moriamur, quam venire hanc ad[Page 88]

profectum, ut diximus, sinamus >> . E contra vero ad viros Dei fideles clamabant: << Audivimus - inquiunt - ex vestra assertione simoniacos haereticosque esse procul dubio, qui noscuntur emisse ea quae sunt sacra. Quo scelere qui immunis de sacerdotibus inter nos sit, sine dubio manifestum est quia nemo est. Nos autem, quia Christiani dicimur, absque Christi sacramento vivere nullatenus valemus. Quod si ab istis sumpserimus, potius dicitis nos sumere damnationem quam salutem. Et ideo his telis undique constringimur et quid agamus profecto nescimus >> . Quibus beatus Arialdus sic respondit: << Videte - inquit - dilectissimi, dum haec dicitis, ne supra vos veniat quod Spiritus sanctus per beatum Iacobum loquitur dicens: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis*. Ideoque qui veritatem cupit veraciter invenire, constanter omnem debet falsitatem respuere. Quapropter, ut veritate quae Deus est perfrui perfecte valeatis, per ipsum vos obsecro ut a falsorum consortio sacerdotum penitus vos segregetis, quoniam luci cum tenebris, fidelibus cum infidelibus, Christo cum Belial nulla esse debet conventio aut pars sive societas. Sic enim scriptum est: *Exite de medio eorum et separamini et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos, dicit Dominus*. Quomodo potest fieri ut vobis petentibus minora non tribuat, id est pastores qui vos iuste regant, qui vobis adhuc non existentibus tribuit maiora, hoc est semetipsum pro salute vestra? Propterea omnium spreto haereticorum consortio, pastores bonos et fideles ab eo fiducialiter petite, et quia accipietis procul dubio scitote >> . His namque verbis multi viri ac mulieres sic sunt accensi, ut non solum deinceps simoniacorum actus omnes contemnerent, sed etiam cum eis nullo modo in uno oratorio orare vellent. In his autem diebus, si per illam urbem incederes,[Page 90]

praeter huius rei contentionem undique vix aliquid audires. Alii siquidem simoniacam excusantes, alii eam constanter damnantes, nec mirum quoniam una domus tota erat fidelis, altera vero tota infidelis, tertia autem mater erat credula cum uno filio, pater incredulus cum altero. Et hac quidem confusione et contentione civitas tota erat plena et permixta.

11. In diebus illis quam plurimi clerici coeperunt consortium clericorum pravorum relinquere et beato Arialdo adhaerere. Inter quos quidam ex illis sacerdotibus, ipsius exhortatione compunctus, ecclesiam quandam quam grandi pretio male emerat dimittere disposuit. Sed, Christo ordinante, miles in cuius iure haec erat, iam de fidelibus existebat. Qui per beatum Arialdum edoctus, sicut ille eam deserere disposuerat qui illam emerat, sic iste suo e iure elegit hanc amittere ut dominam, qui hactenus ipsam nequiter usurparat ut famulam. Convenientibus igitur cum beato Arialdo in unum multis fidelibus, miles refutationem ab emptore accepit eamque super altare, viri Dei admonitione, posuit, et beato eidem Arialdo iussit ut deinceps eam disponderet secundum quod Deum velle sciret. Qui protinus tres clericos fideles et castos vocavit et refutationem quam miles in altare posuerat, eos pariter iussit tollere. Cumque idem a pluribus exoraretur ut eandem cum ipsis una sumeret, quatenus ad multorum profectum ibidem manere deberet, ait: << Cum ipsis quidem ad eorum instructionem et ceterorum salutem manebo, verumtamen ne verbo Dei mihi credito impedimentum[Page 92]

sit sub iugo alicuius terrenae rei et ne huic Azoni in cuius ditione haec ecclesia est constructa sub hac occasione aliquod possit damnum inferri, huius rei sortem nequaquam sumo, quoniam tale tempus scitote procul dubio venturum, in quo nulli vivere liceat, nisi me a suis finibus expellat >> . Hic quippe sermo quomodo propheticus fuerit, in sequenti lectoris menti luce clarior patebit.

12. Eo namque in eadem ecclesia manente, quanta beneficia tam verbis quam factis sive ipsis fratribus sive ceteris tam fidelibus quam infidelibus impenderit et quanta ab eis pro bonis mala per decem fere annos pertulerit, nemo nec omnia scribere, immo nec valet profecto dicere. Nam protinus legationem in domum paternam misit et ex ea viginti libras argenti sumpsit atque iuxta eandem ecclesiam habitaculum mirabiliter aptum aedificavit. Agitur denique res nova et paene ab eodem loco hactenus inscia: chorus namque alti circumdatione muri concluditur, in quo ostium ponitur; visio clericorum laicorumque ac mulierum, quae una erat et communis, dividitur; omnes de una arca vivere coguntur; fabulae ad mensam[Page 94]

compescuntur, pro quibus sancta lectio super eam assidue profertur. Ceteri

autem clerici mane omnes diei horas potius murmurabant quam decantarent: hic vero in die, tacto septies signo, fratribus una congregatis, magna cum veneratione debitam omnipotenti Deo laudem decantabat atque ad satisfactionem omnes in eodem officio, dum forte delinquerent, dicto et facto provocabat. Porro sicut beatus Arialdus laetus nimis est effectus eo quod ad votum diu nimisque optatum, videlicet ut cum fratribus ad ecclesiam communiter vivere posset, pervenerat; sic fideles multi laeti sunt effecti pro eo quod aptum locum haberent, ubi Domini verba mente libera audire possent et divina (mysteria) sacramenta percipere. Coepit autem tanta ibidem multitudo confluere, non solum de urbe sed etiam de villis et castellis, quatenus eos nullo modo valeret capere ipsa ecclesia, licet satis esset ampla. Quos tam constanti assidueque doctrina vir Dei docebat, ut plerumque vocem sic amitteret, quatenus ab aliquibus iuxta se positus vix audiri posset.

13. Praeterea, quia canes muti effecti erant et latrare nequibant, multa mala et detestanda populus tunc commitebat. Quae ita idem ab exordio suae praedicationis universa damnavit, ut suum procul dubio illud dictum faceret, quod per beatum Paulum prolatum est: *Mundus* - inquit - *sum* a sanguine omnium vestrum. Non enim subterfugi quominus nuntiarem omne *consilium Dei vobis*. Per totum namque adventum absque contradictione[Page 96]

ulla eos repperit nuptias sollemniter celebrare, uxores ducere, etiam in ipsa Domini natalis vigilia, si fortassis eveniret in dominica. Cui rei nefandae tam ardentem constanterque verbis coepit pariter et actibus obsistere, quatenus in eius venerabili transitu nemo paene reperiri posset, qui tam nefandum opus agere praesumeret. Nam in ipso nuptiali die, iam paratis omnibus quae in nuptiis solent parari, illuc ubi eadem nuptiae agebantur, cum fratribus anxie occurrebat, et celebraturos omnium rerum Domini nuptias nitidos suis minime ruderibus esse debere sordidos occupatosque denuntiabat et tali modo illos cogebat omnia iam tractata omittere et in apto tempore servare.

14. Duo denique clerici olim signum clericatus in ecclesia quadam, quae Sancta Maria Secreta nuncupatur, sumpserant. Quorum tamen nemo ipsius beneficio perfrui posset, donec, sicut in loco eodem mos erat, eiusdem ecclesiae sacerdos minime obisset. Quem per idem tempus obisse contigit. Sed cum iam dictam ecclesiam pridem qui primus designatus fuerat adipisci deberet, tantummodo si pro ea male usitatum praemium daret, viri Dei iam credulus verbis, distulit. Quem improbus suus minor anticipavit et neque Deum neque hominem erubuit nec veritus est ut eandem sibi cum pecunia non acquireret. Quod ut ad hominem Dei Arialdum fuisset perlatum, eum adscitum ad se sic allocutus est: << Inique praesumptor, cur, postquam me docente esse haereticum emptorem venditoremque sacri audisti, hanc iniquitatem committere non timuisti? >> . Quo obmutescente et nesciente quid responderet in excusatione et quia iam pro hoc a vicinis nimis habebatur execrabilis, tandem sic respondit: << Audita quidem manifesta ratione, me male fecisse video, sed quid exhinc agam penitus ignoro,[Page 98]

quoniam abbas Sancti Victoris, cui hac de causa paene quicquid habebam dedi, Deum non sic timet, ut mihi meam semel acceptam pecuniam reddat, et hanc si non habuero, unde meam vitam mediocriter sustentem minime habeo >> . Cui vir Dei: << Quid - inquit - dedisti? >> . << Duodecim - inquit - libras argenti >> . Respondit autem vir Dei dicens: << Et si tibi reddantur, vis dimittere libenter quod comparasti nequiter? >> . Qui respondit: << Libentissime >> . At bonus discipulus, pium imitans magistrum, sequitur opere quod loquitur ore: de suo proprio patrimonio duodecim integre libras argenti sumpsit ipsique universas tradidit et sic iam fatam ecclesiam gratis alterum fecit habere, cui competeabat iure.

15. Per idem tempus Landulfus, sodalis ipsius, obiens superstitem germanum nomine Herlembaldum, prudentem et fidelem virum, licet laicum, reliquit. Hic nuper, ex Ierosolyma reversus, volebat tunc saeculum relinquere et se tradere vitae monasticae. Cuius fidem et constantiam beatus Arialdus agnoscens, coepit ei promittere quod sibi potioem apud Deum gradum acquireret, si monasterium ingredi differet et fidem catholicam secum defenderet, atque cum ipso haereticis et Christi hostibus resisteret. Qui volens probare utrum in his quae a beato Arialdo sibi promittebantur veraciter auderet confidere, sumptis aliquantis fidelibus, perrexit Romam, non per viam regiam gradiens, sed per Dei cultores in eremo et in monasteriis circumquaque degentes de iam re dicta omnes interrogans. Cumque[Page 100]

cuncti, in vera et pura fide accensi, sententiam ei concordem una cum beato Arialdo promerent, tandem pervenit Romam. Ubi, sub inevitabili imperio ab Alexandro papa et a cardinalibus ei praeceptum est redire et Christi adversariis in defensione iustitiae usque ad proprii sanguinis effusione viriliter cum beato Arialdo resistere. Cui etiam ex beati Petri parte mirificum vexillum dederunt, ut, quotiens haereticorum vesania ultra modum insaniret,

illud in manu tenens eos reprimeret. Quod quam constanter per decem[Page 102]

et octo fere annos implevit, nec lingua plene promere nec stilus meus exprimere est profecto idoneus. Erat enim nobilis Herlembaldus coram saeculo quasi dux in vestibis pretiosis et in equitibus ac armis, sed in abscondito coram Deo, sicut eremita agrestis, indutus erat laneis. Hunc in pedum ablutionem pauperum agere vidi, quod in alio nemine me reminiscor vidisse. Nam cum alicubi per urbem vallatus magna multitudine fidelium se gratis obsequentium incederet, et horrendos pauperes et debiles inspiceret, clam alicui ex suis famulis innuebat persistere atque pauperem post ipsum ad domum secum ducere. Dimissis igitur extraneis, allata aqua cintusque linteo, egeni pedes nimia cum veneratione abluebat et exergebat. Post haec[Page 104]

autem, corpore in solo prostrato, sub ipsius pedibus caput ponebat et tali modo mendicum et pauperem faciebat se modicum conculcare divitem. Denique honorifice et abundanter ipsum reficiebat secum. Nam hoc opus sanctum interdum in numerum duodenum explere vidi pauperum. Verumtamen Dei zelo sic erat accensus, ut de eo in eius absentia plerumque vir Dei Arialdus suspirans diceret: << Pro dolor! Praeter Herlembaldum et Nazarium, clericum vix quemquam reperio, qui quoquo modo mihi sub falsa discretione tacere non suadeat, quatenus simoniaci et adulteri libere possint peragere opera diaboli >> . Multa namque bona de hoc viro familiariter cognovi, sed quia nuper in defensione iustitiae martyrio est coronatus, ea alteri tam volumini quam scriptori relinquo, quia beati Arialdi vitam perficere velociter cupio.

16. Per idem tempus abbas coenobii Sancti Celsi obiit; cuius locum quidam clericus nomine Lanfrancus protinus rapuit, refutato pro eo tirocinio non modico, quod annuatim sumebat de pontificali domo. Cuius nefandae praesumptioni tam constanter per tempora plurima vir Domini Arialdus cum Herlembaldo nobili socioque fidei obstitit, donec eum facerent exulem, non solum male emptae abbatiae regimine, sed etiam paene[Page 106]

finibus eiusdem parroechiae. In eodem denique tempore, defuncto monasterii Sancti Ambrosii abbate, alius clericus cancellarius, nomine Aripandus, clericale birrum eatenus ignominiose delatum reliquit, et huius monasterii nomen abbaticum sibi nefande usurpavit. Qui cum tantae esset celsitudinis pro natura superbi sanguinis, ut violenter nequaquam posset expelli, ait Arialdus vir Dei: << Si quod debemus in hoc improbo explere nequimus, quod valemus saltem faciamus >> . Protinus igitur, sumptis fratribus, ad eum perrexit, quo coram praevento dixit: << Quid est hoc? Heri clericus, hodie abbas. Magnum fecisti et velocem saltum. Et quare non timuisti contra sanctos canones et contra iusiurandum quod nuper in ecclesia[Page 108]

Romana iurasti hoc usurpare? >> . Qui respondit: << Hoc, ut vides, actum est et relinquere id ulterius minime possum >> . Cui vir Dei: << Si vis - inquit - potes, et omnino ex Dei parte sanctaeque Romanae ecclesiae deprecor te ut rem contra Dei voluntatem sumptam et contra tuae animae salutem raptam relinquas >> . At ille: << Et ego - inquit - sub eodem iuramento quo adiurasti me adiuro te, ut tuis te vestibis nunc exuas et hic coram me te scopari facias >> . Qui protinus cucurrit, virgas adquisivit, vestibis se exiit et acriter se ab uno ex suis ibi coram omnibus scopari fecit. Haec itaque falsus abbas perpendens, quid ultra diceret nesciens, capite dimisso inde surrexit et induratus ut Pharao aliorum declinavit.[Page 110]

17. Sicut enim tot testari possunt, quot eum familiariter noverunt, huius intentio et exercitium aliud assidue non erat quam ut opere impleret quicquid in divinis legebat voluminibus. Nam sic erat largus, ut frequenter de ipso dicerent ii qui sedule cum eo morabantur: << Si hic arcam aureis plenam haberet, nisi petentes egentesque defuissent, uno in die omnia procul dubio expenderet >> . Cum enim alicubi incederet et obviantes pauperes eum, ut eis aliquid largiretur, exorarent, argentum, quod numquam peculiariter detinebat, a se sequentibus protinus commodabat, et sic eorum necessitati misericorditer subveniebat. Munditiam namque cordis corporisque sic diligebat, ut contra diabolicas illusiones quibus homines illudi solent nocturnis horis, universas ferme noctes medias insomnis et pervigil permaneret et quam plurimas usque ad galli cantum protelaret, partim orando, partim legendo, partim ad destructionem simoniace haeresis cum ceteris fidelibus in consilio consistendo. Illum praeterea usum gulosum, qui carnales tam clericos quam laicos in sabbato sancto ad nonam cogit missarum sollemnia et baptismatum, quae in eadem sancta nocte agenda sunt, anticipare, valde damnabat, sed quia aliis in hoc non valebat, sibi consulebat. Prandente namque universa urbe, ipse sanctam noctem ieiunus cum fratribus aliquibus praestolabatur, atque cum eis ad quendam exhibat locum qui dicitur Nemus, miliario a civitate secessus. Ibi enim adhuc est ecclesia a beato Ambrosio constructa et dedicata, ubi, sicut fertur,

idem, fugiens populi tumultum, solitus erat degere librosque dictare.
In hac autem vir Dei sanctam eandem noctem pernoctabat et debitas omnipotenti
Deo laudes cum fratribus competenter reddebat. Numquam
enim volebat solus bibere, numquam sine pauperibus clericis comedere,[Page 112]

numquam sine sodalibus limitem forinsecum transire. In diebus vero ieiuniorum
sollemnia nequaquam celebrabat sanctorum; e contra autem in
sollemnitatibus nec genua flectebat nec ieiunabat, nec quemquam secum
commorantem ieiunare sinebat. Triduanum namque illud ieiunium quod
inter sanctos dies paschales contra antiquorum dicta sanctorum noviter est
peragi usitatum sic vehementer horrebat, ut libenter diceret velle se tradere
morti si tantum exhortari posset populum quatenus in tempus mutaretur
licitum et aptum. Quapropter in uno eorum dierum, una omni iam ecclesia
congregata, ut solito more ad letanias procederet, locum e quo docere
solebat conscendit eisque talia verba proferre coepit: << Debet - inquit-,
dilectissimi, iuxta apostoli dictum esse Domino Deo nostro rationabile
obsequium nostrum, quod competenter tunc agitur quando cum sanctorum
dictis noster actus concors invenitur. Hoc ieiunium quod nunc agitis
scitote me penitus ignorare, cuius impulsione spiritus agatur. Si enim Dei
sit valde miror, quoniam per illorum dicta sanctorum pro quibus Deum locutum
non dubito ieiunare in his diebus paschalibus interdictum reperio.
Est et res alia quae super hoc nimis me haesitare cogit: nam in istis diebus
tam acriter vos affligere cerno, vestibus laneis induendo, nudis pedibus incedendo,[Page 114]

in pane tantummodo et aqua ieiunando. Quomodo quando haec
agere debite iussum est vos nullo modo facere inspicio? Scitote quia sicut
unus ex diebus quadragesimalibus non debet frangi a ieiunio, qui hanc significant
vitam, sic procul dubio nec unus ex his diebus quinquaginta est
ieiunandus, qui significant futuram, praeter sabbatum pentecosten. Et hoc
non propter afflictionem, sicut cetera ieiunia alterius temporis, ieiunandum
est, sed propter novorum fratrum expectationem, qui ad nonam regenerantur,
quorum renovationem nos oportet ieiunos praestolari. Verumtamen
ut ea quae dico plena esse auctoritate demonstrem, sanctae synodo
Nicenae, cuius instituta sic sunt recipienda quomodo sancta evangelia, per
hos dies nec genua flectere nec ieiunia celebrare placuit. Nam ii dies, quod
non sint ieiunandi, oranti pro hoc quondam cuidam patri venerando, nomine
Apollonio, qui praeerat monachis circiter quingentis, satis declaratum
est. Hic enim, quadragesimali rigore transacto, cum fratribus omnipotentem
Deum rogavit ut eis dignaretur ostendere si eos more solito hos
dies vellet ieiunare. Quibus ipse Dominus per incognitos viros ante eos illico
tanta dona omnium rerum ad edendum congrua misit, quanta per hos
omnes dies paschales eis abundanter sufficere possent. Et ut evidenter hac
ulterius ambiguitate carerent, eadem dona sic fuerunt mensurata, ut, donec
dies pentecostes complerentur, ipsa non deficerent, et dum completi
sunt similiter consumpta universa sunt et illa. Quod beatus Benedictus
cernens, cum omni tempore alio monachis ieiunium indixisset, hos ieiunare[Page 116]

eos nullo modo iussit. Quid enim beatus Ambrosius noster patronus de
his dixerit, commemorandum est. Ait enim: Hanc sanctam pentecosten
diem qua ratione curemus vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit
iugis et continuata festivitas, ita ut hoc omni tempore neque ad observanda
indicimus ieiunia neque ad exorandum Deum genibus incubamus, sed,
sicut dominica facere solemus, erecti et feriaty resurrectionem Domini celebremus.
Ad instar enim dominicae tota quinquaginta dierum curricula
celebrantur et omnes isti dies velut dominici deputantur. Sic enim disposuit
Dominus, ut, sicut eius passionem quadragesimae ieiuniis maerebamus,
ita eius resurrectione in quinquagesimae feriis laetaremur. Non igitur
ieiunamus in quinquagesima quia in his diebus nobiscum Dominus commoratur.
Non - inquam - ieiunamus praesente Domino, quia ipse ait:
<< Numquid possunt filii sponsi ieiunare quamdiu cum illis est sponsus? >>. Haec
cuncta beatus dixit Ambrosius, cuius dicta quomodo sint accipienda non
solum novimus nos quorum est patronus, sed omnis etiam paene nescit
mundus. Verumtamen haec nunc tantummodo meminisse vestrae caritati
sufficiat. Ceterum, si vixerimus, hac de re, Christo auxiliante, plus dicemus >> .
Post haec autem plebem dimisit et ad sancti Ambrosii corpus causa
orandi perrexit. Quidam enim illico currentes ad ecclesiam maiorem, ubi
iam civitas erat omnis congregata, retulerunt haec omnia. His itaque auditis,
sacerdotum filii ceterique quam plurimi detestandi viri, accepta occasione
diu praestolata, coeperunt insanire et dicere: << Modo aperte patet
hunc qui tam sanctum opus damnat esse haereticum Deique inimicum >> .
Et his dictis, levaverunt pariter voces et fustes, omnique plebe commota,
in ecclesiam beati viri, quae Canonica nuncupabatur, cum magno impetu
irruunt, quicquid inveniunt diripiunt domumque destruere incipiunt. Servum
vero Dei ideo non interfecerunt, quia non invenerunt. Haec ut nobilis[Page 118]

Herlembaldus ceterique fideles audierunt, sumptis armis in audacem plebem et temerariam irruerunt, quos protinus sic exterminaverunt omnes, quasi essent vilissimae pecudes. Immo cum virtute magna et potestate ad ecclesiam maiorem venientes violenter ab impiis abstulerunt quicquid de domo Domini rapuerant, et sic ecclesiae Dei paene cuncta sunt reddita, operante Christo per zelum piorum, quae ab ea fuerant rapta, operante Satana per furorem impiorum.

18. Sicut enim Arialdus cotidie Christi causas erigere et exaltare contendebat, ita Christus de virtute in virtutem Arialdum assidue provehebat.

Nam tam potentem in oratione numquam reminiscor me vidisse alium quemquam, cuius qualitatem si dixero, gratam fore diligentibus Deum profuturamque spero. Tot enim sanctorum nomina de ipsius ore non solum semel in die sed etiam bis terque audiebam procedere, quot numquam scripta in codice vidi nec alium proferentem audivi. Nam, licet divinis ac liberalibus litteris sic imbutus esset, ut vix alicubi eius par inveniri posset, nullatenus plus in sua scientia confidebat, quam velut nec unam sciret litteram. Sed cum esset cum aliquo de fide altercaturus in publico, priusquam ipsa haberetur congressio, studebat per se sive per fratres directos circumquaque corpora sanctorum requirere atque eorum patrocinia ubi omnem suam spem collocarat obnixe flagitare. Nam cotidie vallatus fraterna ex acie sanctorum corpora circuibat atque coram eisdem Deo gemebundam[Page 120]

fundebat precem. Exeuntes enim a domo singillatim privatimque orando incedebamus, donec populi tumultum transissemus. Quo transito, psalmos cantabamus reciproce, quos vero incipiebat ipse. Et hoc donec agebamus quousque ecclesiae ianuis proximi essemus ad quam pergebamus. Tunc, relicta psalmodia eiusque parte ultima memoriae tradita, quos ad laudem illius sancti pertinere cantus vel hymnos sciebat, sumebat sic quidem dicendo moderate lenique voce, ut, quod dicebat, possemus audire atque cum eo dicere. Et cum hoc sancto canore ante sanctum veniebamus altare. Quo venerabiliter adorato, si dies sollemnis vel paschalis non esset, utraque genua in terram ponebat, manus expandebat, oculos in caelum figebat, et sic in crucis modo ante altare stans, pro Romano summo pontifice atque pro pace, pro salute universalis ecclesiae ac pro eius adversariorum conversione et pro ceteris huiusmodi utilitatibus multis Deum exorabat cum gemitibus et lacrimis. Nos vero, post ipsum procumbentes, quod dicebat audiebamus et respondebamus. Tunc demum silenter paululum orabat idque unicuique nostrum agere sinebat. Denique se erigebat, altare honorifice adorabat et nobiscum iam regrediendo dicebat: *Angelum pacis et gratiae dona nobis, Domine Deus noster*. Et tunc ibi psalmos dicere in ecclesiae exitum incipiebat, ubi eosdem in ingressum reliquerat. Cumque ad aliam veniremus ecclesiam, hoc in ea agebamus quod in alia feceramus. Et notandum quod, in loco quo psalterium finiebat, in eodem protinus idem incipiebat, etiamsi praeter psalmos tres minime ei de exordio tunc dicere liceret. Clericum enim fatebatur semper debere inter psalmodiam esse.

19. Peractis igitur novem annis in exercitio tam grandi atque admirabili, ventum est ad decimum, in quo pervenit ad votum diu nimis optatum. Nam sic pro Christo mori ardentem cupiebat, ut, cum quemlibet se Deumque cerneret pure diligentem, magna cum prece deposceret dicens: << Obsecro[Page 122]

te per Christum, ut pro me precem fundas apud ipsum, quatenus sanguine proprio testari merear verbum eius quod praedico >> . Ad quod adipiscendum ei haec occasio fuit. Iuraverat enim illi omnis clerus tam maioris quam minoris ordinis, nec non ipse Wido qui pontifex dicebatur, quatenus cum eo deberent haeresim simoniacam ac neophitanam damnare et in catholicam fidem ulterius persistere. Sed cum ecclesiarum regimina eidem Widoni sine rectoribus apparebant, illico quod iuraverat oblivioni tradebat et, ceu canis ad vomitum, sic revertebatur ad suum antiquum reatum. Quod vir Dei Arialdus cernens, litteras per manus Herlembaldi ad apostolicum direxit, quatenus ipse decerneret quid de Widone adultero et simoniaco atque periuro fieri oporteret. Tunc enim duo clerici Modicenses ad Christi famulum venerunt, spondentes velle se relinquere opera et consortium diaboli et deinceps firmiter tenere et praedicare opera et fidem Christi. Nam unus ex his tantae erat audaciae et perversitatis, ut quasi ductor existeret adversae partis. Quibus vir Dei ait: << Tot quippe sunt qui hoc dicunt mendaciter, ut iam paene nemo est cui possit credi veraciter. Vos vero, si vultis ut vestris credam sermonibus, ite et operibus me firmum reddite >> . Regressi igitur domos, connubio illico a se repulso, coeperunt palam et constanter profiteri beati Arialdi verba esse plena veritate, quae hactenus erant professi fore plena falsitate. Haec ut Wido audierat, saevos illuc protinus apparitores mittens, eos capere iussit atque in Alpes ad castrum quod dicitur Leucum deportari. Ibi namque in tam durum carcerem sunt missi, sicut ipsi nobis sunt postea professi, ut numquam eos contingerit audisse sanctos a paganis diriora perpressos. Quod Christi famulus dum

audisset, convocata in unum civitatis multitudine, ait: << Volo vos, dilectissimi, scire quod christianus pro nulla causa gladium debeat ferre, nisi pro fidei defensione. Si ita est, immo quia ita est, vos qui christiani estis et arma fertis, cogitate quid nunc vos oporteat facere. Ecce enim duo clerici, quamdiu in perfidia persistentes opera diabolica sunt secuti, honorifice ab eo qui pontifex Mediolanensis dicitur sunt habiti, cum vero eandem perfidiam diabolicamque nequitiam decreverunt contemnere et Christum sequi, tunc sunt capti, tunc in diris carceribus trahi >> . Haec cum cives christiani audissent, obstupefacti tantam perfidiam, cum magno clamore coeperunt damnare, ad arma cucurrerunt et ad vindicandum tantum scelus contra Widonem exire cooperunt. Christi vero famulus, timens ne ad fidei detrimentum pro absentia Herlembaldi populus praemio aut timore corrumperetur, eos praecessit in manu portans vexillum sanctae crucis. Wido autem, spe nimiae multitudinis equitum, pugnaturus occurrit in ruribus Modicensibus, milibus fere decem ab urbe distantibus. Vociferantibus itaque partibus utrisque, infidelem aciem protinus tantus invasit timor, quatenus ei nulla quidem remaneret spes fugiendi vel bellandi. Sed dantes statim obsides, clericos spoponderunt captos quantocius se reddituros. Et sic in eodem die reversi sunt gaudentes Deumque laudantes. Tertia enim die post haec ad ecclesiam viri Dei vox insonuit dicens: << En iam veniunt rudes martyres Christi >> , clerici scilicet qui fuerant capti. Quibus Christi famulus cum multis fidelibus illico occurrit obviis eosque deosculans cum magno gaudio suscepit et excelsa voce *Te Deum laudamus* cum fratribus cantare coepit illosque sic in ecclesiam introduxit. Quos tunc[Page 126]

20. tos cruentosque. Coeperunt itaque Herlembaldum cohortari ut descenderet et Christi adversarios cum eis prosterneret. Quibus nullo modo adquiescens, nec descendit nec manus deposuit. Ipsi vero irruerunt protinus in eos et sicut enim ante validissimum ventum fumus, sic ante eos omnis illico infidelis evanuit populus. Widonem vero ante ianuas in equo reperiunt, quem iuste fustigantes spoliant, atque eorum manus vix evadere potuit, in cenaculum quoddam tractus potius quam delatus. Tot namque ocius tunc apparere pro veritate certantes, quasi eidem nulli essent in eadem urbe resistentes. Magno igitur cum trophaeo ecclesiam intrantes, Herlembaldum descendere faciunt, immo laeti valde sunt effecti eo quod beatum Arialdum, quem credebant mortuum, reperiunt vivum. Quem ergo tollentes in atrium ecclesiae quae dicitur Rozoni deveniunt, ibique protinus tanta armorum multitudo est congregata, quatenus inimicorum non solum corpora prosternere, verum etiam ipsorum possent libere omnia aedificia subruere. Ad quod namque patrandum dum anxie anhelarent, Herlembaldus iam vexillum in manu tenens erectum, ait: << Oportet ut domnum Arialdum inquiramus cuius domum evertere primitus debeamus >> . Haec vero ut Christi martyr audierit, in locum unde a cunctis posset audiri se iussit deferri, eoque, innuente manu, silentium factum est magnum. << Carissimi, - inquit - si in linguas verterentur nostra omnia membra, nullo modo valerent Dei laudare magnalia vobis hodie caelitus ostensa. Hodie enim, ut scitis, talis hora fuit, in qua nullus vestrum unum saltem pro veritate valebat verbum proferre. Nunc autem nullus est qui vel etiam contra vos, ut inspicitis, audeat mutire. Et quis vero est haec operatus,[Page 128]

nisi Christus? Si igitur Dominus hodie cognovit famulos ad tuendum, dignum est ut famuli noscant Dominum ad venerandum. Nam si inimici Dei et nostri hodiernam noscerent sollemnitatem, quod egerunt nullatenus essent conati. Nos vero et Dei scire sollemnitatem venerando et eius audire praecepta obsequendo oportet. Ait enim: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*. Per ipsum ergo vos oro, ut nunc arma deponatis mecumque ad beati Ambrosii sacrum corpus veniatis et ibi Deo grates debitas pariter reddamus nostrosque aemulos diem hodiernum ducere letiferum sinamus necnon pro ipsis Deum suppliciter exoremus. Nam a quibus haec aguntur, alta celsitudo acquiritur, quia de filiis hominum Dei filii, testante Christo, efficiuntur >> . Haec enim illa multitudo dum audisset, alii videlicet sapientiores, beatum Arialdum totum cruentum et seminecem spectantes, pacem vitamque inimicorum poscere audientes, mirantes abstupescabant, alii vero ferventiores spiritu his verbis nullo modo acquiescere volebant. Verumtamen, licet diversi vellent diversa, cuncta tamen illico sunt completa martyris verba.

21. Sequenti denique nocte iterum cum Widone congregata est pars perversa dicens: << Non nos haec adversa omni modo deiciant. Popularis enim turba cito mutatur et in diversas partes facile inclinatur. Certi quidem sumus quod in urbe Arialdum extinguere nullo modo valemus. Tale igitur aliud consilium nostra sagacitas reperiatur, quod ipse nullatenus evadere queat. Constituantur equidem per diversa urbis loca ex nobis viri prudentes, pecunias a nobis sibi collatas habentes copiose, quas per populum

clam in noctibus tribuant, in diebus vero, omnibus omissis negotiis, assidue conveniamus. Et hoc tam diu agamus, quousque, nimis multiplicati, ipsum violenter ab urbe pellere valeamus. Quod cum fuerit factum, positus undique insidiis, capiatur captusque illico necetur. Quae cuncta si non impleverimus, pacem numquam habebimus. Quid multa? >> . Per dies enim quindecim duo populorum conventicula sunt in urbe vehementia assidue[Page 130]

habita, unum scilicet fidelium ad ecclesiam Rozoni, alterum vero in curia pontificali. Crescebat autem nimis pars vesana pro pecunia sibi in noctibus data. Qua vero nequiter crescente, fideles paulatim taedentes coeperunt deficere. Quod perversa plebs cernens, coepit elata in beatum Arialdum cum nimiis clamoribus irruendi facere impetum, quatenus eum ibi necaret eiusque locum funditus desolaret. Erat enim Christi famulus inter adversa tam fortis et constans, ut nullus e fratribus in die tribulationis inde auderet aufugere nec quicquam asportare. Sed cum fremitum impiorum supervenientium audirent, se ante altare prosternebant ibique mortem expectabant. In uno enim horum dierum, cum iam clausis ostiis fratres ante altare iacebant, mortem praestolantes, unus eorum rem, quam maxime diligebat, latenter, aperto ostio, inde asportavit, eamque in domo cuiusdam civilis amici commendavit protinusque rediit. Quod vir Dei ut audierit, fratrem ad se accitum sic allocutus est: << Arnulfe - inquit -, nonne ecclesia haec in eius honore et nomine dedicata est cui assidue dicimus: *Sub tuum praesidium confugimus, Dei genitrix?* Et nonne legisti: *Maledictus homo qui spem suam ponit in homine?* Et cur contra haec nunc agere praesumpsisti? >> . Qui pavens obmutuit. Ut autem tam idem quam ceteri amodo non praesumerent talia, haec culpa acribus verberibus est protinus emendata. In his namque diebus ibidem tam gravis confusio vehemensque perturbatio erat, ut in hora constituta plerique fideles cibum capere desperarent, mortem adfuturam illico expectantes. Sed licet impii frementes insanirent, nullo modo facere audebant quod minabantur, quoniam totiens dolor in eorum capita vertebatur quotiens contra Christi famulum surgere nitebantur. Quapropter iniquum et publicum dant praeceptum, ut, donec Arialdus in urbe maneret, quicumque clericorum publice mysterium celebraret[Page 132]

vel tintinnabula sonaret, aut laicus quisquam qui haec in sua agere ecclesia permitteret, non solum privaretur substantia, sed etiam vita. Haec vero non solum alibi, verum etiam in ecclesia ubi idem manebat, prae nimio timore iubente milite cuius ipsa iuris fuerat, servari coeperunt. Quod ipse super omnia quae ei hactenus acciderant gravius existimans, ait: << Absit ut mei ultra sint participes et fratres, qui nefandas haereticorum observant pro mortis timore institutiones >> . Qua de re etiam ipsis fratribus ignorantibus, assumpto tantum comite uno nomine Syro, nocte clam urbe exiit et ad sanctum Victorem ad Ulmum biduo cum ipso perlatuit. Denique hinc Herlembaldus cum multis fidelibus militibus utrosque suscepit et Papiam cum eis perrexit. Et parte quidem militum remissa, parte vero secum retenta, per Padum navigio coeperunt descendere, quatenus Romam pergerent et usque ad aliud tempus tantae irae cederent. In quo scilicet navigio sub quodam capti sunt oppido et ex medio sodalium ineffabiliter moerentium beatus Arialdus violenter solus est raptus et in arcem deductus. Ubi dum solitam in oratione et sermone teneret constantiam, miratus miles qui ipsum ceperat, ait: << Pontifex quippe Mediolanensis magnum quidem mihi se daturum promisit praemium, si te caperem eique te darem. Namque mihi ab eo est intimatum te esse haereticum, quod, ut cerno, omnino est falsum >> . Denique eum cum omni domo sua venerabiliter habere coepit et comitibus mestis Papiam iam reversis reddere festinavit. Post haec, scientes loca undique obsessa, ad quoddam castrum fidelis Herlembaldi sunt reversi. Tunc quidam fratres Canturienses ei mandarunt dicentes: << Nobis[Page 134]

quidem hic pro nimia persecutione vivere non licet: nos vero ad te venire iube, si placet >> . Quibus et ipse: << Quicumque - inquit - mecum pro Christo mori est paratus, venire ad me festinet. Qui autem nondum est, aliorum fugiens declinet >> . Haec, me praesente, dicta sunt. Post haec Herlembaldo ceterisque qui secum aderant sic locutus est: << Ex hac - inquit - terra exire nequimus, quia cum mortiferis insidiis omnes aditus obsessos scimus. Et hic manere non possumus, quoniam populus vesanus hic me persequi iam minatur et valde paveo ne insontes huius loci incolae sub hac occasione devastentur. Quapropter necesse est ut aliud reperiamus consilium, scilicet ut quaeramus quempiam fidelem virum qui me per dies aliquot in suam occultet domum, quatenus interim aut populi furor deferbeat et in hac terra me vivere liceat, vel custodiae in insidiis ubique positae me desistant quaerere pro nimia securitate: et sic me hinc forte licebit exire >> . Qui responderunt dicentes: << Quae autem dicis cunctis placent, si inveniretur qui hoc fideliter faceret >> . Et ille: << Est - inquit - loco huic quidam presbyter vicinus, nuper ex Ierusalima regressus, qui hactenus mihi credere satis est visus, per quem, si placet, mittatur et super hac re diligenter inquiratur >> .

Omnibus itaque volentibus, per nefandum presbyterum tunc missum est. Et post haec ecclesiam ingressus ipse est, in qua, quoniam in vigilia sancti Ioannis Baptistae erat, a mane usque ad horam quasi nonam in oratione permansit indeficiens. Et ecce detestandus presbyter veniens secreta diligenterque inquiritur si locum haberet aptum ad ipsum per tres saltem menses occultandum. Qui cum promitteret se iuxta ecclesiam locum sic habere secretum, ut in eo quempiam per multos annos tenere valeret celatum, media tandem nocte, libatis osculis cum gemitibus et lacrimis multis, usque ad portam cum ambobus processimus. Nam ipsum multum deprecati sumus ut unum, quem ex nobis vellet, in suum obsequium sumens duceret. Quibus et ipse: << Nequaquam - inquit -, quoniam, si una duo sunt, loquuntur et loquentes audiuntur >> . Quis enim fari potest[Page 136]

quanta bona tunc Herlembaldus presbytero promisit, si ipse Christi famulum tractaret bene, et quanta mala, si male? Moerentes igitur utrosque abire permisimus, mane vero ad urbem devenimus. Presbyter ergo nequam, mox ut in suo conclavi illum concluserat, diabolico tractus spiritu, malo Widoni nuntiare festinavit dicens: << Quid vis mihi dare? Et ego tibi tradam Arialduum sine turba, sine Herlembaldo, immo absque viro aliquo >> . Cui ille, laetus nimis effectus, magnum praemium illico cum securitate promisit, si ipse quod promittebat impleret. Tunc sibi quam plures dari petiit milites, quos sumptos inter duas macerias ab habitatione secessas nocte constituit dicens: << Unus - inquit - ex vobis tantummodo in media iaceat via scuto coopertus: hunc enim, cum venero, percutiam calciamento. Tunc vos omnes velociter surgite et tam me quam ipsum capite. Ne forte quidem super alium surgatis incaute, vobis hoc fore signum scitote >> . Et post haec in his verbis ad virum Dei ingressus est: << Domne - inquit - Arialde, necesse est ut hinc velociter discedamus et ad castrum de quo te suscepi revertamur, quoniam te hic esse omnibus notum est. Nam si hic moram fecerimus, cras procul dubio capiemur >> . Cui vir Dei: << Tibi - inquit - via est nota: praecede ergo et ego sequar te >> . Traditore igitur praecedente, ad milites venerunt utrique, et ex calciamento facto conducto signo, omnes pariter in Dei virum irruunt eumque capiunt captumque stricte vinciunt et vinctum iumento superimponunt ac tacite conciteque contra Lacum Maiorem festinant pergere. Hoc enim ante horam diei tertiam, in quo vigilia sancti Petri celebratur, per totum Mediolanum est divulgatum. Unde factum[Page 138]

est ut ubique esset luctus et lamentum piorum, atque e contra vesana exultatio reproborum. Quod ego audiens, tumultuosam et confusam protinus reliqui urbem eumque persecutus sum. Die igitur eodem nocteque sequenti festine properans, die altero ad praefatum, iam sole oriente, perveni lacum. Supra cuius enim dum incederem litus et Stationi, ubi parentela mali Widonis habitabat, essem propinquus, obvius habui virum nomine Martinum, qui se dicebat fore presbyterum. Hic me interrogavit unde essem quove pergerem. Cui ego, ut veritatem securius ab eo inquirerem, ex parte mentitus sum dicens: << Ex illa plebe sum et compares mei huc me direxerunt, ut manifeste valeant scire utrum verum sit quod apud nos de Arialdo clericorum inimico noviter insonuit, scilicet quod extinctus sit et si eis super hoc pleniter laetandum sit >> . At ille: << Revertere - inquit - mecum et, cum ad ecclesiam, quam paululum post te reliquisti, redieris, optime de hoc instructus eris >> . Et tunc mihi secum revertenti ait: << Hesterna namque die vox laetifera nostro insonuit loco dicens: «Arialduus, clericorum adversarius, vinctus habetur in nave et in ripa laci». Ad quem illico cum multis aliis decurri et, arrepto palo optime acuto manuque erecta, in pectore eius illum infigere volui, sed enim non sum permissus. Missi sunt quidem quinque protinus viri a domina nepte archiepiscopi, de quorum ferocitate ipsa non dubitabat, qui eum a militibus dividerent et in locum quo ipsa eis iusserat ducerent. Quod sine more completum est. Et in tantam illico est ductus solitudinem, ut vix ibi sit aliquando accessus hominum et tantummodo navigantium, sed silvestrium solummodo habitatio bestiarum. Quid te verbis longius protraham? Ibi cadaver eius sine auribus,[Page 140]

sine naribus, sine oculis, sine dextera manu, sine membro genitali esse fecerunt. Si absque omnibus his membris aliquando quemquam vidisti vivere, hunc esse mortuum noli credere. Nam sero nullo modo quiescere quiverim, donec ii qui in eum haec patrarunt sic me securum fecerunt, quatenus ultra non sit unde mea iam mens dubitare possit. Tu vero ad tuos reverte haec eis intimans eosque redde securos laetosque >> . Et post haec ab alterutro divisi sumus et, donec ecclesiam est ingressus, me redire finxi; postea vero, nolens verbis confidere perfidi, regressus sum ad iter quod reliqueram. Cum autem in iam praefatum ingrederer vicum, iuxta viam repperi ecclesiam in honorem sancti Petri dedicatam, ad quam tunc clericorum laicorumque multitudo cum processione exibat. Ibi quidem seorsum duas inveni mulieres, de his quae acciderant, conferentes et plorantes. Quibus appropinquans, inquisivi quid haberent et cur flerent. Quarum

una ait: << Vere tu ex illo es ordine qui, cum deberet suis bonis dictis factisque omnes levare in caelum, e contra malis exemplis cunctos praecipitat in infernum. In hoc enim loco, machinante tuo ordine perverso, in his diebus tantum est perpetratum scelus, quatenus pro hoc omnes Deus in abyssum demergat anxie expectemus, et tu dicis cur flemus? >> . Videns igitur mulierum fidem, ipsis quod discipulus essem illius de quo flebant intimavi easque, si vera essent quae a praedicto audieram viro inquisivi. Quae statim factae apud me nimis gratae, omnia testantur esse vera, praeter hoc quod de eius morte adhuc erant incertae. Viam itaque mihi contra praefatam tendentem solitudinem ostendunt multumque deposcunt ut, revertens, eas facerem sciolas unde eis adhuc inerat dubietas. Verum ingentium praepeditus obstaculis saxorum, illuc accedere eundo per terram nequivi[Page 142]

quique per navem illuc me transferre auderet reperire non potui, ideoque, praeter quae dicta sunt, pleniter de illo tunc scire non valui. Porro, secundum quod postea diligenter scrutatus sum, qualiter quibusque ex hac vita verbis migraverit, diligentibus Deum fore gratum credo, si id breviter intimavero.

22. A loco igitur quo captus est, psalmodiam decantavit. Ad Stationem enim a militibus, ut praedictum est, divisus et quinque ferocibus servulis est traditus, qui cum ipsum ducerent ad mortem, allocuti sunt dicentes: << Arialde, cur non recordaris ut neges quae hucusque dixisti et profitearis dominum nostrum esse verum pontificem? Nam, si hoc faceres, forte adhuc vivere posses >> . At ille: << Absit - inquit - ut coronam, quam verum dicendo in mea adquisivi vita, in fine mentiando amittam. Nam me utrum nunc ducatis ad mortem ignoro, quod si facitis, scitote vestro domino meam mortem valde nocituram non solum in futura vita, sed etiam in praesenti >> . Et illi: << Videsne - inquiunt - illum magnum mortem? Si ipse profecto esset aureus et tuus totumque dares, ultra nullo modo viveres >> . Ille autem, haec audiens, se erexit et hymnum sanctorum apostolorum Petri et Pauli alta voce decantare coepit. Quo finito, ad solitudinem ad quam tendebant pervenerunt. Quem tollentes de nave, supra quoddam saxum vinctum posuerunt ad sedendum. Seorsum denique paululum remoti, haec dicere coeperunt ad invicem: << Quid faciemus? Si tantum occiderimus virum, nostrae animae nullum ultra poterunt adipisci remedium, et hoc si non fecerimus, nihilominus moriemur >> . In his enim dum haesitarent, aspexerunt naviculam concite venientem duosque homines deferentem. Et aiunt ad invicem: << Hos expectemus: hi forsitan boni nuntii baiuli sunt >> . Praedicta vero mali Widonis neptis, quae exhinc lezabel et Herodias est nuncupata, postquam quinque ad Dei famulum necandum direxerat[Page 144]

servulos, duos clericos, quos in eius mortem praecipue inhiare cognoverat, ad se vocatos, sic allocuta est: << Assumptis gladiis vestrum persequimini velociter inimicum, ne forte ceteros seducat et ulterius vivat >> . Hi vero erant qui cum nave tunc veniebant. Qui cum ad ceteros venissent, egressi de nave dicunt: << Ubi autem est Arialdus? >> . Qui responderunt dicentes: << Mortuus est >> . At illi: << Nobis - inquiunt - iussum est videre illum sive vivum sive mortuum >> . Et aspicientes viderunt illum eminus vinctum sedentem super saxum, in quem sic anxie irruunt, quomodo leonum catuli super praedam famelici. Evaginati igitur gladiis, ipsius unus unam, alter vero auriculam arripit alteram, dicentes: << Dic, furcifer, si dominus noster verus est archiepiscopus >> . Qui respondit: << Non est nec fuit umquam, quia opus archiepiscopi in ipso nec est nunc nec fuit umquam >> . Tunc immites eius utrasque amputant aures. At ille, oculis in caelum elevatis, ait: << Gratias tibi ago, Christe, qui me hodie inter tuos martyres dignatus es connumerare >> . Interrogatur denique iterum si Wido verus esset archiepiscopus. Qui, solitam constantiam animi tenens, ait: << Non est >> . Quapropter nasus ipsius protinus cum labio superno est abscissus. Deinde ambo oculi sunt effossi. Postea vero dexteram detruncant manum dicentes: << Haec est quae faciebat epistulas Romam directas >> . Dehinc radicitus membrum amputant genitale, dicentes: << Praedicator castitatis eatenus fuisti: exhinc et tu castus eris >> . Postea vero desub gutture linguam extrahunt dicentes: << Modo sileat quae clericorum familias conturbavit et dispersit >> . Et sic illa sancta anima carne est soluta, corpus vero ibi quoquo modo terrae traditum est. Coeperunt denique illic post haec luminaria praeclara per noctes piscatoribus apparere. Quod ut impia lezabel audivit, protinus in aliam insulam eum nocte transferri iussit. Sed cum eadem lux ibidem similiter[Page 146]

crebro appareret, in locum tertium eundem asportari facit. Videns igitur quod non posset sanctum occultare corpus nec sub terra neque super terram, quia illud ubique lux eximia comitabatur, irata valde fecit saxa ingentia circa ipsum innecti et in profundum laci dimergi. Verumtamen ibi, ubi est proiectum, tanta est aquae altitudo, sicut didici a viris illius loci, ut vix fune centum cubitorum quisquam possit fundum attingere. Nam idem lacus pro sui magnitudine Maior nuncupatur et plus quinquaginta milibus in longum extenditur. In quo tam innumerabiles procul dubio immanesque

sunt pisces, ut per tres menses facile devorarent quot in eadem parrochia sunt pecudes. Verum quia omnia haec occulte fuerunt peracta, de illo haesitatio et altercatio ubique erat non parva: alii dicebant quod esset mortuus, alii quod in vinculis clam detineretur. In cuius amorem tunc sic omnis populus est accensus, ut cuncti se sub iureiurando constringerent, quatenus illum aut habituri essent vivum sive mortuum, aut pro ipso ad mortem usque certaturi. Sed Deus omnipotens, cuius causam ipse patefecerat, nec illum passus est a pisce contaminari nec in laci profundo occulte morari.

23. Transactis namque mensibus decem, quidam vir fidelis, nomine Algisius, per urbem coepit anxie discurrere dicens: << Nuper in die inventionis sanctae crucis, mei causa negotii, iuxta litus transibam laci Maioris. Et ecce aquila eadem supervolitabat litora, cetera expellens volucra. Quod ut viderunt pastores qui ibi pascebant suas pecudes, illuc festine coeperunt currere, cum quibus cucurri et ego. Et ecce beatissimus Arialduus, ex aqua proiectus, ibi integer, praeter octo membra quae ei erant cum ferro amputata, iacebat, mirifice candidus. Quem ego videns, optime illico agnovi hisque qui aderant lacrimabiliter omnibus dixi: «Videte - inquam - ut hic salvus sit, quia iste est beatus Arialduus, quem maestus universus quaerit populus». Dum enim ibi aliquantulum moraremur, subito de arce Arona[Page 148]

missi sunt servi qui inde nos eiecerunt et in quandam quae ibi erat foveam leniter humaverunt >> . Hoc ego, qui haec scripsi, dum audissem, sumpto comite, illuc perrexi concite. Repertosque pastores utrumnam vera essent quae audieram diligenter cauteque inquisivi, qui cuncta esse procul dubio vera respondentes asseruerunt. Et ego: << Si vera sunt - inquam -, ubi ergo est ille? >> . At illi: << Ecce - inquit - locus ubi nobis videntibus sero est positus, mane vero revertentes locum quidem invenimus, de eo autem nihil. Hoc tantum putamus, quod nocte eadem sursum delatus sit in arcem >> . His auditis, velociter reversus, Herlembaldo viro prudenti quaeque, ut audieram, per ordinem cuncta narravi. Qui festine, omnibus convocatis civibus, iam in appetitu martyris, quem patefactum audierant, vehementer inhiantibus, ex illis viros elegit atque ad sanctum requirendum corpus direxit. Qui post biduum reversi, professi sunt hostes veritatis dixisse: << Mori potius parati sumus, quam quod quaeritis reddere corpus >> . Hoc autem ideo dicebant, quia idem dissipare temptarant. Nam nocte qua ad se illud detulerant, cernentes eius integritatem et decorem, dixerunt ad invicem: << Si enim hic fuerit quaesitus et ab omni populo tam decorus inspectus, semper quidem ipse erit in laude, nos vero in obprobrio. Quapropter cutem cum capillis de eius radamus capite, pellem vero corporis albescentem ferreis dilaceremus unguibus, pedes abscidamus utrosque et in furno denique nimis candente illum aduramus, quatenus, si ad eum videndum missum fuerit, horridus et ignotus potius respuatur quam quaeratur >> . Verum, licet haec diabolica machinamenta in eo cuncta complerent, in deteriorem quam putarent ignominiam ceciderunt, quia non missum est ad videndum, sed petendum. Nam, auditis nuntiis, tintinnabulis tubisque concisius sonantibus, omnis civitas in unum convenit. Tunc dixit Herlembaldus: << Quoniam inimici Dei et nostri gratis sanctum nolunt reddere corpus, decet ut ab eis per nos violenter auferatur. Sed, quia res quam prosequimur,[Page 150]

Dei creditur et dicitur esse, volo ut illuc iuste et cum ipsius incedamus honore. Non enim cum raptu et pauperum detrimento innocentium pergamus, sed nobiscum feramus unde vivere debeamus. Discurrant itaque nuntii circumquaque velociter, qui omnes ad bella aptos nobiscum cum armis rusticosque huc venire hortentur cum plaustis, quatenus illi nobiscum pugnent, isti vero nostra arma et victus deportent >> . Congregata igitur post paululum tanta sunt carra, ut per septem fere milia vix posset per publicam et communem viam turba pedestris vel equestris incedere. Confluebat autem undique, quasi harena maris, multitudo innumerabilis, arma ferens et victus supra dorsum famulorum sive iumentorum. Et sic incedentes, secundo tandem die ad vesperum reperimus pratum, quarto fere miliario a loco quo incedebamus distans, bene humectum amplumque, ibique, quia ad hoc aptum erat, castra metati sumus. Hinc Herlembaldus, vir prudens, iterum delegavit blandeque sanctum corpus quaesivit. Perterriti itaque hostes a sonitu pavendo frementis multitudinis super se venientis, prohibere quod petebatur ultra non ausi sunt. Et ecce, die altero illucescente, vox laetifera per castra insonuit dicens: << In litore quidem Ticini directum est in navem corpus beati Arialdi >> . His auditis, certatim omnes arripuerunt cursum. Ille namque habebatur tunc beatior, qui ad currendum erat promptior. Eo igitur levato in feretrum, cum tanta gloria et laude reverti coepimus, ut eas nullo modo exprimere possem, etiam si vocem linguamque[Page 152]

ferream haberem. Nam de castellis, quibus se concluderant pro civium timore, exhibant senum, iuvenum atque mulierum infinitae multitudines, cruces cerosque atque situlas aqua plenas, ut potarent aestuantes, deferentes,

et unusquisque, prout valebat, voce excelsa immensas Deo gratias reddebat. Tintinnabula quippe personabant undique. Arbores namque quam plurimi scandebant, ut ipsum saltem videre possent. At, ubi Mediolano propinquavimus, totam paene urbem obviam habuimus, matronas nobiles et ignobiles, cereos innumerabiles deferentes, infantes et senes omnesque Deo laudem dantes. Etiam ipsos, quos in vita sua habuit aemulos, scilicet clericos, invenimus paratos non officium cantantes mortuorum sed, ut decebat, martyrum. Et sic in sancto die ascensionis Domini posuimus illum in medio ecclesiae sancti Ambrosii. Tunc nobilis Herlembaldus, in loco eminenti progressus, haec omnibus audientibus est locutus: << Videtis - inquit -, dilectissimi, quantum valet fides quam inter nos per decem annos docuit beatus Arialdus. Certe, ut videtis, ipsa eum servavit defunctum incolumem in profundo laci, inter innumerabiles immanesque pisces per decem menses. Haec autem coram vobis ipsum per decem hos dies aestivos conservet, videlicet usque ad sanctum diem pentecosten, quatenus de longinquo et proximo sexus diversae aetatis uterque huc venire et nostram fidem nostrorumque impietatem aemulorum evidenter possit contemplari >> . Clamabant tunc, nobis audientibus, ad illum daemonia dicentia: << Quid contra nos latras? Non potes tantum latrare, ut te non faciamus interimere sicut tuum fecimus socium et ut pingues et iniqui episcopi, abbates et presbyteri non sint nostri >> . In his quidem diebus eodem undique veniebat maxima multitudo, plurima munera offerens corpori sancto, quibus ad eum intuendum fas erat per dies, per noctes vero clericorum monachorumque veniebat maxima multitudo easque pervigiles ducebant psallendo.

24. In una autem harum noctium, timens valde ne forte ad obbrobrium Christi servorumque ipsius ibi per aestivum tempus diu permanens foeteret, assumpto lumine, paucis admodum vigilantibus, ad ipsum accessi et reperto foramine quod eius germanus ipsi sub ascella fecerat ut sciret qualiter illius haberentur interiora, intus prospexi, et ecce eius exta ut nix[Page 154]

erant candida, iecur vero aereum habebat colorem. Quae cum intromissis duobus digitis tetigissem et confricasset eosque retractos naribus apposissem, testor veritatem quae Deus est: tantam talemque odoris fragrantiam ex ipsis digitis emanare sensi, qualem quantamve numquam me alibi sensisse reminiscor. Et sicut mea conscientia tunc testabatur et nunc testatur, si ipsi digiti gladii bis acuti acumen habuissent, nares absque vulnere nullo modo evaderent. Quia odoris suavitas tam erat delectabilis, ut nares valentiores essent odoriferos digitos intra se ad trahendum, quam brachii virtus ad retrahendum. Nam quam plures dies, ut diu delectarer tanto odore, eos ab omni custodivi liquore.

25. Congregata igitur est iterum in die sancto pentecosten tanta virorum ac mulierum diversae aetatis multitudo de proximo et longinquo, ut numquam se una tantam vidisse etiam senes dicerent, et sic cum magna gloria laudeque ineffabili ad monasterium delatus est sancti Celsi. Ibi namque in locum mirabiliter aptum traditus est sepulturae. Siquidem ex una parte habet ecclesiam in qua sancti Celsi venerabile nunc adoratur corpus, ex altera vero ecclesiam ubi quondam, ut fertur, diu sanctus perlatuit Nazarius. Exhinc quippe ibi a multis fidelibus adoratur et colitur, ab infidelibus autem nec Christus universorum dominus nec Arialdus ipsius famulus.[Page 156]

26. Decem igitur annos beatus levita et martyr Arialdus duxit pro Christi lege viriliter certando; decem membra idem post haec per manus obtulit iniquorum, octo cum occideretur, duo ne agnosceretur; decem vero menses in profundo laci incolumis iacuit; decem autem milia illum nobis proximiorum lacus proiecit quam acceperit. Per dies enim decem aestivos ipsum in ecclesia sancti Ambrosii, videntibus cunctis, Christus conservavit eique post haec decimo anno Herlembaldum fidelem socium associavit, ut veraciter credo, in regno caelorum, peremptum scilicet per eorundem manus iniquorum. In quo decimo anno haec scripta sunt ad laudem Christi eiusque famuli Arialdi. Passus ergo est beatus levita et martyr Christi Arialdus quinto kalendas Iulii, anno ab incarnatione Domini millesimo sexagesimo sexto, praesidente sedi apostolicae secundo papa Alexandro,[Page 158]

regnante domino nostro Iesu Christo cum Patre et Spiritu sancto per omnia saecula saeculorum. Amen.

[Home](#)

Andreas Strumensis. Date: 2002-07-29